

De
antiquo & curioso
BRETISLAI.
Bohemiæ Ducis,
NUMMO ARGENTEO



Præside

M. GEORGIO WENDIO,
Gymnasii Thorun. Rectore & Prof. P.

a. d. X. Septembr. A. M. DC. IIC.

disputabit

David Schmid / Stolpa Pomeranus,

Judicia sua de eodem communicantibus:

Michaelæ Rarßburg / Falkenburg. Marchico;

Laurentio Christiano Stiege / Belgart. Pomer.

& Johanne Hing / Tempelburg. Polono.

THORUNII,
imprimebat Johann. Balth. Breslerus, Gymnasii Typogr.

Facies I. BRACISLAUS DUX.

§. 1.

Bretislai est hic Nummus, non Wratislai.

[Posterius constat. Nam Wratislaus I. Dux Boh. fatis ante concesserat, quam Filius, Wenceslaus, a Fratre Boleslao jugularetur. Dubrav. l. 4. Hist. Boh. p. 28. quomodo ergo filii Martyris memoriam in nummo recollere potuit Parens? Alter quoque Wratislaus, Bretislai F. regium charactere ab Imp. Henrico III. jam impetraverat. quis itaq; crediderit, Ducis Nominine contentum fuisse, qui REX jam erat? Prius probatur. nam (1.) in virtuosum huncce Bretislaum, quadrant omnia prædicata, inferius allegata, inprimis quod S. Wenceslai honori multum litaverit. (2.) idem, qui hic in nummo & apud Cosinam Bracislaus vocatur, alibi ab historicis Bratislaus, Bretislaus, Brzetislaus, a Cromero Prædislaus, ab Æn. Sylvio & Naclero etiam Bisetislaus indigitatur; (3.) Aheni, non aquilæ, utitur insignibus.]

§. 2. *Figura, pro ratione istorum temporum in circo ruditer delineata, Aheni, Boleslao olim in penam dati; non Korabi, s. Arcæ Noahi, multo minus equi ac asini argenteorum, ab eodem Boleslao in Bohemiacæ fodinis reperorum, typus est.*

[Primitus parum aberat, quin statuerem, per figuram istam KORABVM h. e. Arcam Noæ, quali quidē præter peculiare in Polonia familiam, KORAB dictam, etiam Joh. Radlicki & Jacob. Zadziki, Epp. Cracov. in armis suis usi sunt, præsentari. Ovum enim ovo vix est similis, ac nostra hæc pictura navis Korabianæ, a Polonico Scriptore, Okolski, Tom. I. Orb. Pol. p. 413. delineatæ. Quodenim loco mali aliud ornamentum; in prora & puppi camelina, nisi fallor, depicta cernuntur capita, id conjecturæ parum præjudicat. Etenim & in Korabiorum navibus gentilitiis (1.) in vicem mali columna succesit; (2.) similia pro more veterum (qui juxta Hæping. de Jure Insign. p. 712. navium proram & puppim variis olim condecorabant figuris,) offenduntur capita. Attamen cum hujus rei nullum in Vita Bretislai extet vestigium, schema quoque superne contractus paulo appareat, quam ut pro navi haberi queat, mature mutabam sententiam. II. Bienneio abhinc persuadere mihi conabatur non nemo, in memoriam forte argentearum minerarum, equi ac asini (ut est apud Balbin. l. 2. Epit. Boh. c. 5. p. 112.) figuras mentientium, cælatas fuisse dubias istas ideas. Ast. (1.) quid Bretislao cum memorabilibus, Boleslai I. ævo inventis? (2.) Capita, in originali rectius, quam in cupro signata, camelina verius, quam alia, videantur esse. (3.) Fingamus, equi esse atque asini; ubinam, quæ-

sc, corpus, pedes, alia, talium animantium indicia? III. Tutissime forte-
an huiusmodi labor, si ingeminavero, Ahenum illud flammæum, quod Boleslao
ob jugulatum fratrem, Wenceslaum, ab Ottone I. olim in pœnam fuit da-
tum, in nummi arca effigiari. (1.) Onus enim, aquam in ahenis calefaci-
endi, adeoque & ahenum in armis signandi, duravit usq; ad Bretislaum,
qui A. 1032. (testante Hagecio in Annal. Boh. p. 140.) a Cunrado Casare
liberatus fuit eodem. (2.) præter capita nihil ibidem suspectum. Inferne
ahenum, superne flammula, aperte conspicitur. Quod vero loco anstatu.
duo ibidem capita affixa cernuntur, id vel ex more Veterum, vel ut ne
statim ab exteris dignosceretur ahenum, factum est.]

Facies II. SCS. WENCESLAUS.

§. 1. *Quod Bretislaus S. Wenceslai memoria peculiarem Nummum
designavit, id partim ex more, partim ex singulari erga eundem,
tanquam atavi sui, Boleslai, fratrem Martyrem, devotione factum est.*

[I. Ex more. Nam, si Hagecio habenda fides, Boleslao per quietem
apparuit Frater, Wenceslaus, desiderans, ut ad placandum se Numismata
se referentia cuderentur. Effectui quoq; hoc fuisse datum, testatur Balbi-
nus l. c. scribens: Boleslaus monetam S. Wenceslai, fratris sui, imagine notari
iussit: quem morem postea in aureis nummis, qui in Boh. cudebantur, etiam
Rudolphi II. & Matthie Cass. temporibus servatum scimus, & ex usu esset, revo-
cari. II. Ex singulari devotione: quæ inter alia vel inde quoq; claret, quod,
ut alio tempore præter Templum S. Mauricii in Wissehrad, etiam Mona-
sterium Pinopienſe, fratribus eremitis Ord. S. Augustini destinatum, ex-
citavit: ita A. 1046. Boleslaviæ, a R. P. Benedicto IX. eam ob causam,
quod S. Adalberti corpus, quanquam maxima cum reverentia, sine tamen
ejus præscitu, e Polonia in Patriam retulerat, ad id obligatus, Basilicam
magnificam ejusdem nomini dicavit, dicatamq; per Severum, Episcopum
Prag. solennissime consecravit. Balbinus l. c. lib. 6. c. 3. p. 15. Pont. in
Boh. pia p. 17. seq.]

§. 2. *Wenceslaus non privata Bretislai aut Cleri, sed publica Joh.
XIII. P. R. autoritate in numerum Sanctorum receptus est.*

[Mediis seculis in usu quandoq; fuisse, ut Vir meritis clarus ab uno atq;
altero coetu pro Divo haberetur, id inter alia inde quoq; dispalescit, quod,
Polydoro Vergilio l. 6. c. 8. p. 514. teste, Alexander III. statuit, ut ne u-
nusquisq; arbitrato suo hunc vel illum pro divo haberet coleretve, & ne ulli mor-
taliū. divinus honor in sennis haberetur publice, nisi illi, qui prius ex edicto
Apostol-

Apostolico in Divorum esset Catalogum adscriptus. Wenceslaum autem posteriori modo consecratum fuisse, liquet (1.) ex eo, quod templa eidem dicata leguntur. (2.) quia emortalis ejusdem a. d. 28. Sept. quotannis solenni ritu celebratur. (3.) quod Balbinus l. c. expresse refert: paucissimis à eade annis D. Wenceslaus ab Ecclesia universa coli cepit, jamq; A. 971. (non integris a morte annis triginta) in litteris Apostolicis, quibus Joh. XIII. sedem episcopalem Pragæ erigit, S A N C T U S Martyr Wenceslaus appellatur diserte. Confer. Cosmas Prag. in Chron. Boh. p. 11.]

§. 3. Principum Secularium, a sede Romana in Canonem receptorum, atque a Successoribus in nummo cælatorum, S. Wenceslaus facile primus est.

[Secundum Bellarmin. l. 1. de S. Beat. c. 8. omnium a Papæ (Leone III.) solenniter canonisatorum primus est Suiherius Ep. secundum Troil. Malivit. in Tr. de S. Canonisat. Apollis, primi, ut ferunt, Seculi Martyr: inter Principes tamen, in numerum cælitum relatos, prælaudatus Wenceslaus facile palmam obtinet. Utut enim Carolus M. Imp. A. 814. vivendi paulam fecerit isthoc tamen honore non, nisi post Wenceslai fata, h. e. A. 1166. mactatus fuit. Aventin. l. 4. Annal. p. 285. Reliquis reliquorum Regnorum Regibus, (Stephano, inquam, & Ladislao Hungariæ; Henrico II. Germaniæ; Casimiro Poloniæ; Leopoldo Austriæ; Erico Sueciæ; Eduardo Angliæ; &c. Principibus,) ferius paulo, præcedimo nimirum & seqq. Seculis, eadem Apotheoseos dignitas obtigit.]

§. 4. Figura, in disco picta, non est D. Viti manus, ab Henrico I. (non, ut vulgo traditur, ab Ottone I.) S. Wenceslao donata, (Czechorod. in Marte Moravo l. 3. c. 1. p. 229.) verum aut Bohemorum, Gnesnæ jussu Ducis sui priores digitos versus cælum exerentium adeoque jurantium, aut pendulum e cælo brachium, amorisq; divini pignus, est.

[D. Viti brachium (Dubravio autore l. 5. p. 32.) magna omnino religione in Bohemia colebatur. Sed quid hoc ad Bretislau? Propius ad scopum collineant, augurantes, Bohemorum turbam per manum istam strictioris juramenti, in Polonia nuper ab iisdem exacti, commonesieri. Antequã videlicet S. Adalberti (vel etiam Gaudentii) corpus e discolo loco in Patriam transferri posset, extertis ad cælum digitis pro se & NB. omni posteritate sua jurare tenebantur illi, se omnium pietatis atq; justitiæ Legum, a Bretislao Gnesnæ promulgatarum, fore observantissimos, nec amplius, ut antea, rapinis juxtim & adulteris inhiaturos. Ed. Sylv. c. 16. p. 130. Hægec. p. 145. Pontan. l. c. p. 17. At enim desuper e nube promittens, non versus cælum exporrectum, sistitur brachium. Quorsum igitur S. Adalberti cultorum jusjurandum? Optime, me arbitro, sentiunt, qui in præsens ad Sigillum Boleslavien- se, in quo desuper brachium e cælis imminet, respiciunt. Ita enim rursum Balbin. l. c. p. 15. Boleslavien- sis Ecclesia non lineas aut aquilas e clypeis suorum fundatorum (Wratislai aut Bretislai) sed velut unicum & summum decus S. Wenceslaum ad Ecclesiæ fides genu succentem. Et fraternis vulneribus morientem, brachio e cælis in S. Principem exporrecto, (quod divini præsidii opus est) in sigillis & clypeis ostentat. Hac ratione quippe inter S. Wenceslaum, in limbo notatum, ac inter brachium, e sigillo petitus, atq; in Numinis disco figuratum, nobilior intercedi- convenientia.]

Skanowanie i opracowanie graficzne na CD-ROM :



ul. Krzemowa 1

62-002 Suchy Las

www.digital-center.pl

biuro@digital-center.pl

tel./fax (0-61) 665 82 72

tel./fax (0-61) 665 82 82

Wszelkie prawa producenta i właściciela zastrzeżone.

Kopiowanie, wypożyczenie, oraz publiczne odtwarzanie w całości lub we fragmentach zabronione.

All rights reserved. Unauthorized copying, reproduction, lending, public performance and broadcasting of the whole or fragments prohibited.